

**HOMILIA**

**DICENDA IN MATUTINIS,**

**IN FESTIS UNIUS MARTYRIS NON PON-**  
tificis, quando in eis dicitur Missa *In-*  
*virtute tua.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Mathæum.

*Lectio vii. Cap. 10. d.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis:  
Nolite arbitrari, quia pacem venerim mit-  
tere in terram: non veni pacem mittere, sed  
gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 1. in Matth. cap. 10.*

**S**Uprá dixerat: Quod dico vobis in tene-  
bris, dicite in lumine; & quod in aure  
auditis, prædicate super tecta: nunc infert  
quid post prædicationem sequatur. Ad fidem  
Christi totus orbis contra se divisus est, una-  
quæque domus & infidèles & credentes ha-

buit: & propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid & in Génesi adversus rebelles homines, qui moti fuerant de Oriente, & turrem extruere festinabant, perquam coeli alta penetrarent, fecisse scribitur Deus, ut divideret linguas eorum.

R. Coróna áurea super caput ejus,

\* Expressa signo sanctitatis, glória honoris, & opus fortitudinis.

ŷ. Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa signo sanctitatis.

Lectio viij.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum. Hic locus prope iisdem verbis in Michæa Propheta scribitur. Etnotandum, ubicumque de veteri Testamento testimonium ponitur, utrum sensus tantum, an sermo consentiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante pramiserat: Non veni pacem mittere, sed gladium, & dividere homines adversus patrem & matrem, nurum & socrum, ne quis pietatem religioni antefert, subjicit, dicens: Qui amat patrem aut matrem

plus quam me. Et in Cantico legimus cantorum: Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios. R. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas iudicium non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quesivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ŷ. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Ordo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zona excuserat: dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, undé victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum: Qui recipit, inquit, vos, me recipit: & qui me recipit recipit eum qui me misit: ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur. Te Deum Laudamus.

---

Illerdæ: Typ. Bonaventuræ Corominas.